

**www.e-rara.ch**

**Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum**

**Oecumenius**

**Venetiis, M D LVI**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

Iudae epistola catholica.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

rum inquit. Postremo morali monitione adhibita, atq; eis fidei stabilitatem a Domino precatus finem facit.

Capita Iudę catholicę epistolę.

De studio fidei in Christum adhibendo, ob impiorum hominum ac flagitiosorum prouentum: ubi de futura ipsorum punitione ex similitudine eorum qui antiquitus peccauerunt. De miseria ipsorum ob errorem & impietatem et obscenitatem, & maledicentiam, & simulationem, & auaritiam. Monitio ut in fide stabiliantur, & proximum tum arguant, tum misericordia & benignitate prosequantur ad salutem. Caput unicum.

IYDAE EPISTOLA CATHOLICA.

De studio fidei in Christum adhibendo ob impiorum hominū & flagitiosorum prouentum: ubi de futura ipsorum punitione ex similitudine eorum qui antiquitus peccauerunt: de miseria ipsorum ob errorem & impietatem & obscenitatem & maledicentiam & simulationem & auaritiam. monitio ut in fide stabiliantur, & proximum tum arguant, tum misericordia & benignitate prosequantur ad salutem. Cap. unicum.



VDAS IESV CHRISTI seruus, & frater Iacobi.

Satis fuit Apostolo huic ad famę conciliationem, postea q̄

seruum se Christi appellauit, Iacobi etiam nomine honestari. Iacobi enim celebris ob uirtutem apud omnes fama erat effectura, ut doctrina huius apud auditores maiorem haberet auctoritatem, libenti usque admitteretur: presertim si is qui genere & sanguine cognatus esset, non alienus a cognati moribus & uita esse, sed sub uno Domino Christo degens, idem seruitutis iugum cum fratre trahere proposuisse conspiceret.

*Vocatis uis qui Deo patri dilecti sunt, & Iesu Christo reseruati, misericordia uobis & pax & charitas multiplicetur.*

- Ioan. 6. e.** Cum Dominus dixerit nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum: uerum esse id beatus hic uir nunc ostendit. Eos enim qui a patre dilecti sunt, Christo esse reseruatos inquit. unde etiam uocatos eos appellat: non enim ex se id habent quod uocati fuerint, sed ex patre qui eos traxit. Misericordiam autem, & pacem, & charitatem ipsis optat multiplicari: misericordiam, quia per uiscera misericordie Dei uocati, & assumpti in ministros ab ipso fuimus: pacem, quia hanc quoque nobis idem Deus pater donauit, cum per filium suum Iesum Christum, nos qui ipsum offenderamus, sibi reconciliauit. Charitatem, quia ob charitatem erga nos unigenitus filius eius ad mortem pro nobis est deditus. Has igitur abundanter exhiberi ipsis optat, cum beato Dauid consentiens, qui inquit. Extende misericordiam tuam uis qui cognoscunt te. Alia
- Luc. 1. g.**
- Ephes. 2. c. d.**
- Ioan. 3. b.**
- Rom. 2. f.**
- Ephes. 5. a.**
- Psal. 35. c**

tamen lectio in exemplaribus nonnullis reperitur. nam pro τοῖς θεῷ πατρὶ ἡγαπημένοις. idest iis qui Deo patri dilecti sunt, est τοῖς θεῷ πατρὶ ἡγαπημένοις, idest iis qui in Deo patre sunt sanctificati.

Dilecti cum omne studium adhiberem ut uobis de communi salute scriberem, necessitatem scribendi ad uos habui: rogans, ut pro fide quae semel sanctis tradita est, decertetis. subingressi enim nonnulli homines sunt iam dudum proscripti in hoc iudicium, impij qui Dei nostri gratiam in libidinem transmutant: & solū dñantem Deū & Dñm nostrū Iesum christū negant.

Argumentum epistolę his significat, qđ studio salutis ipsorum hęc scribat, ne ob simplicitatē a scelestissimis hęceticis capiatur, quos quasi notat, ac manifestos omnibus ex flagitiosissima, obscenissimaq; uita reddit. De his Petrus dixit, sed hic latius ac diffusius agit. Proscriptos autem ipsos inquit, quoniam & Petrus & Paulus mentionem de ipsis fecerunt, cum in extremis tēporibus huiusmodi seductores uenturos dicerent. Quin ante hos ipse etiā Christus ait, multi in nomine meo uenient, & multos decipient: ne post ipsos eatis. Cum enim christianos se appellent, nomine hoc multos fallunt. Intelligit autē hic de scelestissimis impurissimisq; hominibus qui a Nicolao, & Valentino, & Simone sunt profecti: qui cum uentri & intēpertantia essent dediti, doctrinę huius professionem simulabant, ut eius prętextu insinuare se in do-

2. Petr. 2. 20

2. Petr. 3. 20

1. Timo. 4. 20

2. Tim. 3. 20

Luc. 11. 16

2. Timo. 3. b.

mos facile possent, atq; ita mulierculas peccatis  
 accumulatas in captiuitatem inducerent. No-  
 cturna enim sacra cōmenti cubilibus & impu-  
 dicit ijs sese dedebant. In libidinem aut transmu-  
 tant inquit, idest adulterato signo temperantiā  
 in libidinem transformāt. ex quo fit ut Dñm  
 nostrum Iesum Christum etiam negent. Quo  
 pacto enim Christum non negant, qui uitę im-  
 puritate & immunditia quasi clamoso quodam  
 p̄conio totius temperantię magistrum a sese  
 abdicant, atq; alienant? Nulla siquidem luci  
 cum tenebris societas est. Rogat uero, ut qui se-  
 mel Christum Saluatorē admiserunt, eiq; credi-  
 derunt, pro fide decertēt. i. non remisse ac negli-  
 genter se gerant, sed uiribus oībus contendāt,  
 ut fidei huic magis ac magis incūbant. Nā cum  
 uerbum quod carnē assumpsit, admiserimus, si  
 alterū esse diceremus eum q̄ ante secula ex pa-  
 tre p̄dierit, alterum qui in extremis tēporibus  
 ex matre in mundum uenerit: quo modo unum  
 dominantem ac dominū non negaremus? Vnus  
 enim Dñs est Iesus dispensationis unione. Qui  
 nāq; ante secula Dei uerbum erat et Deus, car-  
 ne in deitatis gloriam reducta, quam ex sancta  
 uirgine a principio cōceptionis assumpsit, unus  
 & idem omnium Dominus est.

Num. 14. f.

Cōmonefacere autē uos uolo, cum semel id cognos-  
 scatis: Dominum cum ex Ægypto populum saluum fe-  
 cisset: secundo eos qui non crediderunt, perdidisse: &  
 angelos qui principatum suum non seruarunt, sed pro-  
 prium domicilium deseruerunt, in iudicium magni dies

vinculis æternis, sub caligine seruasse. Sicut Sodoma  
 & Gomorra & circū ipsas ciuitates simili modo ut isti Gen. 19. 6.  
 fornicatæ, & post carnem alteram profectæ, in exem-  
 plum propositæ sunt, ignis æterni pœnam subeuntes:  
 Similiter sanè et isti insomniantes carnem inquinant,  
 dominationē abrogant, glorias maledictis infectatur.

Posteaquē flagitiosam imundorum Nicolaitarum  
 & Valentinianorum & Marcionistarum  
 uitā significauit, eosq; ex impuritate quasi inu-  
 sta quadā nota manifestauit, hæc est infert. Dñs  
 inquit, ex Aegypti terra cū seruasset populum  
 & c. tum ut declararet, eundē esse Deum & uete-  
 ris & noui testamenti institutorum, & non, si-  
 cut isti scelesti aiunt, alterū esse Deum ueteris  
 testamenti ultorem et crudelem, alterum noui  
 mansuetum et benignū asserentes: tum ut neq; e-  
 hos māsuros esse in ultos ostendat. Nam & q; ex  
 Aegypto fuerunt seruati, licet Deus ipsos p ma-  
 ximā potentia, ex iulū urandū quod patribus  
 ipsorū datum fuerat, ex Aegyptiaca uiolentia  
 eripuisset, non tñ ubi peccauerunt, propterea  
 inulti p mansere: sed meritas pœnas dederunt,  
 neq; ipsis uel Dei benignitas erga patres suos,  
 uel prodigiorū mirabilis ostentatio quicquē pro-  
 fuit. Quia neq; angelis id, pfuit q; ex Deo exor-  
 ti, & intellectuali natura fuerint dignati: neq;  
 sodomitis, q; cum Lot conuersati sint. Sed q; per  
 fidem mare rubrū siccis pedibus p transferant,  
 postea per diffidentiam perierunt. Eos uero qui  
 angelicæ dignitatis præstantiam fuerant conse-  
 quuti, ubi ex negligentia in suo principatu non

Matth. 23. d.

permansere, sed datam sibi Dei benignitate coelestem uitam reprobarunt, Deus in iudicium, id est in condemnationem magni diei supplicij intolerabilis reseruauit: in ignē sicut Christus etiam inquit, paratum & reseruatum diabolo & angelis eius. Sodomitę autem in exemplum & argumētum eterni ignis ipsos excepturi ppositi sunt, cum post carnem alterā abierint, & fornicati sint. i. desciuerint & declinarint: id enim fornicari hic significat. Carnem autem alteram uocat masculinum sexum, quippe quę diuersa sit, & a coitu generationis aliena. caro siquidem ad coitum accommodata, fœminę caro est: iuxta id quod a progenitore nostro dictum fuit, os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. at marium caro altera est. i. diuersa a coitu. Quin etiam fœminę ea est propria et accommodata, quę uni legitime iungitur: nam quę profusa est ac prostituta, altera etiam ipsa est & aliena, parumq; a masculina in flagitio distare cęsenda est. Vbi exempla hęc dixit, orationis consequutionem pretermittam auditori intelligendam reliquit, in hunc modum: Si igitur erga illos ita se gessit Deus, nihil priore ipsorum sorte exoratus: nunquid hos ita flagitiose agentes liberabit, quę filius dei propter homines in mundum uenerit, & pro his cōtumelias & afflictationes sustinuerit? nemo hoc dicet. Nam licet benignus sit dominus & misericors, iustus tamen re uera est: ita ut per ueram iustitiam n̄s qui peccarūt, nō pepercerit: per misericordiam meretrices et publicanos in regnum introduxerit, id quod a

Gen. 2. d.

beato Petro antedictum fuit, ubi scripsit: si. n. Deus angelis qui peccauerūt, non peperit &c. Cum uero inquit, insomniantes carnem inquinant, nimiam rei obscenitatem orationis honeste mirabiliter obtexit: ut significet & uita eos esse impuros, & lingua, & ore obscenos. perinde ac si nimia actionis ipsorum turpitudine somniorum illusioni percipere similis sit. Scelestorum horum borboritarum, idest canosorum hominum obscenitas quam cum mulieribus concubentes execrabiliter patrabant, a beato EPIPHANIO Cyprio detegitur, in libro quem contra ipsos conscriptum Panarium inscripsit, cuius inefficacem uim insomniationem hic uocat, propterea quod ei uisumodi. i. irrita & uana ea sunt, quae in somnis illudunt. Cum igitur suam ipsorum carnem cognosca hac obscenitate inquinant, contra diuinam naturam insuper etiam insaniant, dominationem eius & uniuersi imperium abrogantes. Latius de his agit beatus IRENAEVS Lugdunensis in redargutione falsi nominis cognitionis, a quo qui diffusius horum insanias audire cupit, cognoscere poterit. Vel dominationem, idest Christi mysterij ceremonias abrogare, dum loco angelicorum mysteriorum sua flagitia perpetrant. Glorias autem uetus & nouum testamentum appellat, ut Paulus etiam inquit, cum ait: si enim quod exinanitur in gloria est, multo magis id est, quod in gloria permanet: & rursus si enim ministratio damnationis gloria est, ministratio iustitiae gloria multo magis erit. Vel etiam glorias uocat ecclesiasticas dignitates, quas

2. Petr. 2. 2.

2. Cor. 3. 6.

2. Colo. 3. 6.

maledictis incessabant. si cut ex tertia etiam Io-  
annis dilecti Apostoli epistola uidere licet: ubi  
Diotrephē prauis sermonibus, id est conuicijs  
contra ipsos nugari inquit.

Zacha. 3. a.  
Ecclē. 2. 1. d.

At Michael archangelus, cum diabolo disceptans  
de corpore Moysis cū altercaretur, iudicium illi iſſere  
maledicti ausus nō est. Sed dixit increpet te Dominus.

Vbi maledicentię illorū mentionem fecit, ut  
non eos solos castiget, sed omnes etiā homines  
moneat, ut ab huiusmodi malo linguam coer-  
ceant, cum cōuicijs ne aduersus dignos quidem  
uti liceat: Michaelis archangeli exemplum sub-  
iungit, quasi ita dicat. Isti quidem temere ita ac-  
petulanter contra omnes maledicta congerunt,  
cum tamen neq; eos qui maledictis sunt digni,  
inſectari conuicijs iustum sit, id quod ex archan-  
gelo Michaelē manifestum est: qui cum aduer-  
sus diabolū disceptaret de corpore Moysis, ac  
posset eū ob impudentiā maledictis iure incesse-  
re, id minime sibi faciendum censuit: sed tantū  
modo dixit, increpet te Deus diabole. Quod si  
ita erga diabolū se gessit archāgelus, ut neq; ho-  
minē cōuicijs affici passus fuerit, quomodo isti  
uel Deum omnium auctorem, uel hominē fra-  
trem & sibi cognatum prosequi maledictis ac  
conuicijs audent? Ac de his hactenus. Iudicium  
autem de corpore Moysis huiusmodi fuit. Mi-  
chael archangelus Moysis sepulturę p̄fuisse  
dicitur: cumq; diabolus id nō pareretur, sed crī-  
men inferret, q̄ Aegyptium interfecisset, quasi

Exod. 2. b.

ob id ad se pertineret Moyses: ac propterea honorata sepultura eum affici non permitteret, ita respondisse. Hoc autem producit Apostolus: ut et rationum redditione quae unicuique post exitum e corpore debetur, significet eundemque esse & ueteris et noui testamenti Deum ostendat. Nam cum hominibus qui tunc erant rudiores adhuc, obscuram rem Deus per apertam uellet manifestare, diabolum uidelicet cum prauis suis demonibus animabus nostris post discessum ex hac uita aduersari, quo reditum ad superiora nobis praepediat: bonos uero Dei angelos opem nobis ferre, sicut beatus Antonius inspexit: ut ea tunc agerentur, permisit. Verumtamen Michael tunc diabolum quidem expulit, non tamen insolenter ac superbe. Sed domino omnium Deo iudicium promisit, ac dixit, increpet te Deus o diabole.

*Isti autem quae non nouerunt, maledictis prosequuntur, quae uero naturaliter ut irrationalia animalia sciunt, in ijs corrumpuntur.*

Ac Michael quidem ita neque contra hominem. id est Moysen maledictum tolerauit, at isti de dogmatibus quae non nouerunt, maledicos sermones conferunt, quae uero naturali incitatione indistincte ut bruta animalia sciunt, ea quasi equi in uenem furentes, aut porci consecretantur.

*Vae ipsis, quoniam uiam Cain ingressi sunt, & errore Balaam mercede sunt effusi, & contradictione Core perierunt.*

*Viam Cain, id est per fraternam eadem. nam*

Gen. 4. d.  
Num. 22. d.  
Num. 16. a, c.

etiam ipsi cum talia doceant fratres, idest cognatos sibi homines prauis doctrinis interficiunt: uel cum semen deuorent, fratrem occidunt, qui potestate in semine continetur, quæq; feminis absoluta maturitas in uitam deprompsi sset. Balaam autem sequuntur, quia ipsi quoq; non secus atq; ille lucri causa ea agunt. Cum Core uero pereunt, propterea q; sicut ille, docendi auctoritatem indigni cum sint, sibi præripuerunt.

s. Petr. 2, d. *Isti sunt in charitatibus uestris scopuli, coepulantes in trepide, se ipsos pascentes, nubes aqua carentes a uentis circumductæ, arbores autumnales, infructuosæ, bis emortuæ, & eradicatæ, undæ seuæ maris sua ipsorum dedecora despumantes, stellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum reseruata est.*

1. Cor. 11, d. *Adhuc eo tempore in ecclesiis mensæ fiebāt, ut Paulus quoq; in ep̄la ad Corinthios inquit, quas charitates appellabāt. in his, inquit, conueniunt isti non ob utilitatem quæ in ipsis existit: sed ut occasionem caperent, animas instabiles illiciti edendi, ac fallendi, quemadmodum est Petrus in secunda epistola ait. Qui uero inquit (intrepide) uel ad scopulos referendum, ut sententia ita euadat. scopuli coepulantes in trepide, hoc est cū conuiug nihil timeant, ipsi repente quasi scopuli perniciem animabus ipsorum inferunt: uel ad pascentes etiam referri potest, hoc modo: in trepide se ad pascendum constituentes, cum nullā timeant damnationem ex eo q; pascere nesciūt: sed cæci cecos deducant, & in foueam ut Domi*

Matth. 18, b.

nus inquit, cum ihs qui pascuntur, delabantur. Luc. 6. 8.  
 Scopulis autem, & aqua carentibus nubibus,  
 & arboribus autumnalibus, & undis feris, &  
 stellis erraticis eos comparat, propterea quod quae il  
 lis natura insunt, ea isti ex proposito & electio-  
 ne sibi compararunt. Nam scopuli nauiganti-  
 bus infesti sunt, ac perniciosi, cum inopinato oc-  
 currunt: sic isti coepulantibus insperatam per-  
 niciem inferunt: Nubes uero aqua carentes a  
 uetis agitate quibus locis infederint, ea loca im-  
 bre minime refrigerant, aquam enim non ha-  
 bent, sed caligine obducunt atque offuscant. Si-  
 mili modo isti animas conuersantium non salu-  
 tari sermone irrigant ac recreant, sed detestabi-  
 libus documentis obtenebrant, prauis demonum  
 studiis agitati. Autumnales quoque arbores cum  
 bis emoriuntur, dum & fructus amittunt, et fo-  
 lijs destituuntur: tunc enim & fructuum ame-  
 nitate, et foliorum florida uenustate priuate ari-  
 de apparent: istis similes sunt, qui etiam ipsi bis  
 moriuntur, dum fructum suum uorando semine  
 perdant, & decore qui ex temperantis uitae tra-  
 ductione euenit, penitus destituuntur, unde est  
 a paradiso. i. Domini ecclesia eradicantur, & fo Ioan. 15. 2.  
 ras proiecti ad ignem eternum colliguntur, qua-  
 lem enim statum habere, aut radicem potest, quod  
 ob uoluptatis colluuiem ab omnibus proicitur?  
 At stellae erraticae dicuntur, non quod fidei nostrae  
 firmamento correspondentes sole iustitiae Chri-  
 stum habent per ipsas progrediens, et quattuor  
 uirtutum horas & tempora perficientem, fide 2. omi T. 1.  
 lesque qui in his constituti sunt, uiuificantem; sed 2. omi T. 2.

2. Cor. 11.

quia cum in angelos lucis transformari uideantur, sicut qui eis presidet malus demon, aduersus Dñi dogmata timido feruntur. atq; ita accedentes ad ipsos obscurant, et sibi caliginē eter nā comparāt. Vndis feris item cōparati similitudinē ipsarum minime respuunt: q̄ppe cum furiose ēt ipsi et impetuose maledictis contra deū mentes a prauitatis spiritibus exagitētur, suaq; ipsorum dedecora despument, in spumā post iactabundū tumorem maledicentię, ex uitę suę instabili ac dissolubili turpitudine desinētes. talis enim cui comparant, spumę undarū natura existit. Posteaq; ita dixit, Enoch quoq; reseruatā ipsis a Deo afflictationē in extremo uidelicet iudicio p̄dixisse ostendit, cum inquit.

Apoc. 1. b.

Prophetauit autē & istis septimus ab Adā Enoch, dicens, ecce uenit Dominus in sanctis milibus suis ad faciendum iudicium contra oēs, & redarguendos oēs impios ex ipsis de omnibus operibus impietatis ipsorū, quę impie egerunt, & de omnibus asperis quę loquūti sunt contra ipsum peccatores impij.

Impius a peccatore in eo differt, q̄ impius contra Deum peccat, peccator in ijs quę ad uitam spectat, a iustitię scopo recedit.

Isti sunt susurriones, reprehensores, iuxta concupiscētiās suas ambulantes, & os ipsorum loquitur superba, admirantes personas utilitatis causa. Vos autem dilecti memores sitis uerborum, quę p̄dicta uobis ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi sunt. Quia dixerunt

1. Timo. 4. a

2. Timo. 3. a

*vobis in extremis temporibus venturos esse illufores, q* 2. Pet. 3. 2.  
*iuxta fuas impietatum concupifcentias ambularent.*

Omissis similitudinibus iam ad uerum istorū  
 iudicium manifestandū accedit, susurroneſq;  
 ipsos & reprehensores uocat. Est autē susurro  
 ille q tacite ac mustitando non aperte quod sibi  
 displicet, reprehendit ac carpit. Reprehensor ue  
 ro i. *μεμφίμοιρος* quasi portione et sortem alio  
 rum reprehēdat, ille est, qui omnia ac semp stu  
 det uituperare. Sunt igitur flagitiosi isti, inqt,  
 susurroneſ, non. n. fidenter doctrina sua ac libe  
 re uti ob turpitudinem possunt: qppe cum peri  
 culo non uacet, si obscenitate suam cum impieta  
 te et maledictis commixtā uulgauerint. Repre  
 hensores itē sunt, utpote qui aliorum oīa et ueri  
 tatē calumentur, ut sua scelera uidelicet et fla  
 gitia cōmendent. Quod autē prius dixerat, q  
 mercede isti sicut Balaam effusi fuerant, id nūc  
 apertius explicat, cū ait, personas admirātes uti  
 litatis causa. i. eos q in dignitate cōstituti sunt,  
 adulatione prosequentes, ut utilitatē inde & lu  
 crū consequantur. Cū uero inquit, memores si  
 tis uerborū quę prædicta uobis ab Aplis sunt,  
 de ijs intelligit quę et in secunda epistola a Pe  
 tro, et a Paulo in oībus ferè dicuntur. Vnde pa  
 tet Iudā post reliquos Apostolos hæc scripsisse.

*Isti sunt qui determinant aiales, spiritum non habē*  
*tes. Vos uero dilecti sanctissimæ uestræ fidei superadisi*  
*cantes uos ipsos in spiritu sancto orātes uos ipsos in cha*  
*ritate Dei cōseruate, expectantes misericordiā Dñi nos*

stri Iesu Christi in uitam aeternā. & alios quidem red  
darguite dum diudicamini, alios commiseramini &  
saluos facite rapientes ex igne, in timore, odio prosequē  
tes etiam ex carne maculatam tunicam. Ei autem qui  
seruare ipsos potest, offensione omni carentes & statue  
re in conspectu gloriae suae immaculatos in exultatione  
soli sapienti Deo saluatori nostro gloria & magnifi  
centia, imperiū & potestas nūc et in oīa secula. Amē.

Alterum scelestorum horum hominum cri  
men subiungit: non enim soli ipsi, inquit, pere  
unt, sed eos etiam qui sunt ecclesie alumni, de  
předantur: id enim significat, cum inquit, quo  
disterminant, idest qui extra ecclesie terminos  
hoc est extra fidem & sacrum ecclesie taberna  
culum homines abducunt, & separant. Cum  
enim sua diuersoria & collegia speluncas latro  
tronum fecerint, ab ecclesia rapiunt, atq; ad se  
abigunt, faciunt autem hoc cum sint animales  
homines, idest qui iuxta mundi cōuolutionem  
uitam traducunt, nam animam sepe uitam sole  
re appellare diuinam scripturam superius iam  
diximus. Vt illud in Iob: omnia quęcunq; ha  
bet homo pro anima sua, idest pro uita sua da  
bit. hos autē animales homines Paulus admit  
tere ea quę sunt spiritus Dei non posse inquit.  
Cum igitur isti animales sint, animali etiā utū  
tur doctrina, de qua dictum illud est: Sapientia  
hec desuper a patre luminum non descendit, sed  
terrena est & demonica, spiritum diuinum in  
se non habēs qui loquatur. Atq; illi quidem ita  
sele

Hier. 7. b.

Matth. 21. b.

Mat. 11. b.

Luc. 19. g.

Iob. 2. b.

1. Cor. 2. d.

Iaco. 3. d.

sele habent, inquit : uos uero dilecti sanctissimi  
 me uestre fidei superextruentes, idest uosip-  
 sos in spiritu sancto instaurantes, & iuxta spi-  
 ritus sancti doctrinam uestras congregatio-  
 nes in orationibus facientes, uosipsum in cha-  
 ritate Dei conseruate misericordiam Domi-  
 ni expectantes, que in extremum diem eter-  
 nae uitae uobis dispensatur. & illos si a uo-  
 bis dissident, id enim significat, quod in-  
 quit ( dum diiudicamini ) redarguite, & im-  
 pietatem ipsorum omnibus manifestate. At  
 si ad curationem spectare uideantur, ne eos  
 repellite, sed charitatis uestrae misericordia as-  
 sumite, & ex igne ipsis promisso saluos fa-  
 cite : assumite autem ipsos etiam cum timo-  
 re, prospicientes uidelicet & cauentes, ne  
 forte ipsorum admissio, si negligenter uos  
 geratis, calamitatis uobis in causa sit : ita  
 ut qui iam estis stabiliti, in eandem impie-  
 tatis ipsorum refusionem sensim delabami-  
 ni : quippe cum uitium lubricum sit, atque  
 ad imitationem cuiuslibet facile obrepit. Ad-  
 mittatis igitur ipsos, inquit, sed cum timo-  
 re, idest prospicientia & diligenti cautione,  
 & ad misericordiam qua ipsos prosequimi-  
 ni, odium quoque accedat, ut flagitiosa ipso-  
 rum facta odio habeatis, & detestemini eti-  
 am maculatam, idest inquinatam ex carne ip-  
 sorum tunicam : utpote quae ex contactu car-  
 nis ipsorum, sordem & detestationem etiam  
 ipsa contraxerit. Vel assumentes ipsos cum

1. Pet. 4. a

